SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XII.

LITERAE APOSTOLICAE

QUIBUS FACULTATES PRO ANNO JUBILAEI CONCEDUNTUR POENITENTIARIIS IN BASILICIS, ET ECCLESIIS URBIS PER CARDINALEM MAJOREM POENITENTIARIUM DEPUTATIS, ET CONFESSARIIS A CARDINALI URBIS VICARIO DESIGNANDIS.



ROMÆ MDCCCXXIV

Ex Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam

Annum auspicatissimum magni Jubilæi, quem pia Christiani Populi vota præstolabantur, ex Divinæ liberalitatis dono læti nuper denunciavimus, datis in eam rem Apostolicis Literis VIIII. Kal. Junii. Confidimus profecto, dante Deo voci Nostræ vocem virtutis, Nostrasque sollicitudines obsecundantibus Carissimis in Christo Filiis Nostris Catholicis Principibus, et in eumdem finem connitentibus Venerabilibus Fratribus Ecclesiarum Antistitibus, convolaturos undique filios Israel in Civitatem Sion, in qua cœlestium thesaurorum dona sibi ex Apostolicæ Sedis benignitate patere intellexerunt.

Nos quidem de tanto bonorum cumulo in eos elargiendo impense solliciti, ad ea comparanda, quibus et foveatur religio, et divini cultus majestas commendetur, et opportuna adventantium commoda præsto sint, curas jampridem pro temporum, quæ nacti sumus, ratione convertimus, nullumque charitatis officium patiemur ab humilitate Nostra desiderari.

Cum vero illud præcipue acceptabili hoc tempore expetatur, ut qui gravioribus criminibus se dedere, atque ecclesiasticis censuris, aliisque conscientiæ anxietatibus obstringuntur adeant cum fiducia thronum gratiæ, et disrupta demum vincula sua conspicientes sacrificent Deo hostiam laudis; in id etiam animum appulimus, ut pro commissa Nobis divini-

tus suprema ligandi, atque solvendi potestate, prompta, ac faciliora remedia habeantur.

Hoc proinde consilio Prædecessorum Nostrorum exempla ob oculos habentes, nedum in alma Urbe Nostra augendum Confessariorum numerum, sed et ampliores iisdem facultates adtribuendas censuimus, ut quolibet abjecto difficultatis timore, certaque spe veniæ sustentati fidentius omnes vulnera animarum aperiant, et sanitati reddantur, ac paci.

Cupientes autem gravissimam hanc pastoralis dispensationis partem certa, rectaque ratione procurari, nec ullum, quoad ejus fieri poterit, circa facultatum præsertim limites, earumque usum dubitationi, aut errori locum relinqui, Constitutioni felicis recordationis Benedicti XIV. quæ incipit = *Convocatis* = pro Jubilæo pariter editæ, in qua de facultatum id genus intelligentia, atque usu omnia perspicue, absoluteque tradita perleguntur, decrevimus inhærere; nostro idcirco motu proprio, certaque scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, rem hanc universam ad eum, quem hisce nostris literis edicimus, modum ordinandam, atque dirigendam mandamus.

I. Quare Venerabili Fratri nostro Cardinali Majori Pœnitentiario per præsentes committimus, ac demandamus, ut juxta memorati Benedicti XIV. Constitutionem, cujus initium = *In Apostolicæ Pœnitentiariæ officio* = præter consuetos trium Basilicarum S Joannis Lateranensis, S. Petri in Vaticano, et S. Mariæ Majoris Pœnitentiarios minores pro Basilica etiam S. Pauli via Ostiensi præsenti Anno Sancto similes Pœnitentiarios designet, nec non alios insuper a se jam electos, vel eligendos tam in memoratis quatuor Basilicis, quam in reliquis quoque sive Sæcularium, sive Regularium, ac præsertim quoad fieri poterit in variarum Nationum Urbis Ecclesiis novos similiter Pœnitentiarios deputet, et extra ordinem abunde multiplicet.

II. Porro hisce Pœnitentiariis sive in quatuor Basilicis, sive in aliis Urbis Ecclesiis per Cardinalem Majorem Pœnitentiarium, ut præfertur, deputatis, vel per Anni Sancti cursum deputandis subsequentes facultates pro hoc dumtaxat Anno Sancto duraturas de Apostolicæ potestatis plenitudine concedimus, et impertimur, videlicet

III. Absolvere possint per se ipsos tantum, et in foro dumtaxat conscientiæ quascumque personas sibi confitentes etiam Regulares, cujuscumque sint Ordinis, Congregationis, et Instituti; etiamsi ex præscripto Superiorum, vel suarum Constitutionum etiam a Sede Apostolica approbatarum, vel alias ex indulto, decreto, aut præcepto Apostolico extra propriam Religionem peccata sua confiteri prohibeantur, a quibuscumque sententiis excommunicationis, aliisque Ecclesiasticis Censuris etiam Summo Pontifici, et Sedi Apostolicæ quomodolibet etiam in Bulla Cœnæ reservatis, et a Sacris Canonibus fulminatis, nec non ab omnibus peccatis, et excessibus quantumcumque gravibus, et enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis: injunctis tamen salutaribus pœnitentiis, et aliis de jure iisdem Pœnitentibus injungendis.

IV. Absolvere item possint a supradictis Censuris in jure latis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, quamvis publicæ in partibus sint, quamvis deductæ, aut nominatim declaratæ, ac denunciatæ in iisdem partibus sint per Locorum Ordinarios, aut alios quoscumque Judices, præmonitis tamen pœnitentibus de libello, ut infra, in his casibus publicis omnino conficiendo. Post absolutionem nimirum conficiant libellum supplicem expresso nomine, cognomine, ac Diœcesi Pœnitentis, et casu hujusmodi Censuræ publicæ subjecto, et subtus scribant testimonium absolutionis ab eadem censura concessæ, eumdemque Pœnitentem dirigant ad Officium Pœnitentiariæ Apostolicæ, ut recipere

possint Breve in forma *missi*, vel *remissi* absoluti; juxta praxim ejusdem Officii Pœnitentiariæ.

V. A Censura ab homine, seu a quocumque Judice de partibus nominatim lata absolvere valeant ad effectum dumtaxat Indulgentias præsentis Jubilæi consequendi ita ut semel ac consecuti Jubilæum fuerint, eadem, qua antea, censura adstricti remaneant, ac teneantur parere Sententiæ Judicis, et absolutionem ab eodem petere, perinde ac si nunquam absoluti fuissent. Atque his Pœnitentibus nullum detur testimonium absolutionis, neque Confessionis.

VI. Absolvere insuper valeant pro foro conscientiæ tantum a Censuris propter hæresim formalem externam incursis (dummodo tamen Pœnitens non fuerit publice dogmatizans) previa coram ipso Confessario abjuratione hæresis secreta.

VII. Absolvere possint pro foro conscientiæ a Censuris eos, qui nomen dederint sectis ab Apostolica Sede etiam nuper damnatis, servatis tamen iis, quæ in Apostolicis Constitutionibus præscribuntur

VIII. Omnia, et singula simplicia vota etiam Sedi Apostolicæ reservata etiam jurata commutare dispensando in alia pia opera.

IX. Votum tamen perpetuæ castitatis ita commutare possint ob periculum incontinentiæ, et quidem tantummodo ad effectum nubendi, monendo pœnitentes, facturos ipsos contra idem votum, si extra usum matrimonialem delinquant; remansuros proinde eodem prorsus, ac antea, voto castitatis obstrictos, si conjugi s pervixerint

X. Votum etiam Religionis commutare dispensando possint ad effectum nubendi ob prædictum periculum incontinentiæ, ad effectum vero vitam tantum cælibem in sæculo ducendi, si Pœnitentes onera Religionis sufferre se posse rationabiliter diffidant, vel si dote sufficienti ad ingrediendam Religionem careant.

XI. Meminerint vero, sibi abstinendum ab eorum votorum commutatione, in quibus agitur de præjudicio Tertii. Quare in eo, quod pertinet ad vota, quamvis simplicia, seu perseverantiæ, seu alia emitti solita in aliqua Congregatione, vel Communitate, ac vota obligatoria a Tertio acceptata non se ingerant. Abstineant pariter a commutatione voti de non ludendo, præsertim quoad Personas Ecclesiasticas seu Sæculares, seu Regulares: quoad alios vero si forte attenta Personarum conditione, et circumstantiis, justa ratio pro commutatione afferatur, non aliter in casu ipsam concedant, quam excepto ludo alias quomodocumque prohibito, et iis præterea conditionibus præscriptis, unde ludus ex commutatione permissus honeste fiat. Nec dissimiliter se gerant circa vota pœnalia, seu præservativa a peccatis, ne detur ansa peccandi liberius. Quod si fortasse ejusmodi circumstantiæ occurrant, quæ aliquam commutationem merito exposcant, non aliam certe concedant, quam quæ non minus a peccato committendo refrenet, quam prior voti materia.

XII. Dispensare possint super irregularitate ob hæresim, sed ad exercendos tantum Ordines: item super irregularitate ob violationem Censurarum contracta, et occulta remanente cum Sacerdotibus, aut in Sacris constitutis tam Sœcularibus, quam Regularibus.

XIII Cum illis, qui scienter, vel ignoranter cum impedimento gradus secundi, et tertii, vel tertii solius, aut tertii, et quarti, vel quarti solius consanguinitatis, vel affinitatis etiam ex copula licita provenientis, matrimonium jam contraxerunt, dummodo hujusmodi impedimentum occultum remaneat, dispensare pro foro tantum conscientiæ possint ad remanendum in Matrimonio.

XIV. Cum illis, qui ab Apostolica Sede dispensationem obtinuerunt super aliquo impedimento publico, quod tamen non sit primus, et secundus tantum gradus,

vel secundus tantum gradus consanguinitatis; vel affinitatis ex copula licita provenientis, et in precibus, vel præ verecundia copulam inter eos sequutam tacuerunt, vel falso copulam asseruerunt (dummodo nullitas prædictæ dispensationis ex hujusmodi reticentia, vel assertione respective proveniens occulta sit) dispensare pro foro tantum conscientiæ valeant tam ad remanendum in matrimonio jam contracto, quam ad illud contrahendum, si nondum sit contractum.

XV. Dispensare, seu revalidare Literas Apostolicas super aliquo ex impedimentis obtentas, quæ irritæ, ac nullæ redditæ fuerint ex incestu sive post petitam dispensationem, sive post illius expeditionem, et ante respectivam executionem patrato, ac iterato etiam usque ad eamdem executionem, dummodo sit in casibus occultis, sive agatur de matrimonio contrahendo, sive de jam contracto injuncta semper congrua pœnitentia salutari.

XVI. Similiter pro foro conscientiæ tantum dispensare valeant super impedimento dirimente occulto tam primi, et secundi, quam primi tantum, aut secundi tantum gradus affinitatis ex copula illicita provenientis in matrimonio contracto, ac etiam dummodo causæ graves, et quæ canonice sufficientes habentur, intersint, in contrahendo: ita tamen ut si hujusmodi affinitas proveniat ex copula cum matre desponsatæ, vel desponsandæ, hujus nativitas copulam antecesserit, et non aliter.

XVII. Dispensare similiter pro eodem Foro tam de contracto, quam de contrahendo possint super impedimento cognationis spiritualis, itemque super occulto impedimento criminis, neutro tamen machinante, idest quando solum concurrant adulterium, et fides data de matrimonio contrahendo post conjugis mortem.

XVIII. Hisce vero in casibus matrimonialium dispensationum possint etiam quandocumque opus fuerit, pro

foro conscientiæ legitimare prolem, non tamen ex adulterio susceptam.

XIX. Dispensare ad petendum debitum possint in casu affinitatis incestuosæ matrimonio supervenientis.

XX. Ad petendum pariter debitum cum illis, qui voto simplici castitatis obstricti, matrimonium contraxerunt, dispensare valeant, illos monendo facturos contra id votum, si extra usum matrimonialem delinquant, ac remansuros eodem prorsus, ac antea, voto obstrictos, si conjugi supervixerint.

XXI. Super visitatione quatuor Basilicarum cum Exteris, qui vel ob paupertatem, vel ob aliam urgentem causam in Urbe remanere non possunt, dispensare valeant vel reducendo ad tres saltem dies visitationes earumdem Basilicarum, alioquin per quindecim dies ab iisdem visitandarum, vel visitationes præscriptas in alia pia opera pro sui arbitrio prudenti commutando.

XXII. Cum civibus autem, et incolis Romanis, qui morbo, vel aliquo legitimo impedimento detenti non valeant memoratas Basilicas visitare, possint præscriptas iisdem per triginta dies visitationes in alia pia opera, quæ illorum possibilitati proportionata esse viderint, dispensando commutare: suam tamen conscientiam oneraturi, si super hujusmodi visitationibus inconsulto, et sine justa, et rationabili causa sive cum Exteris, sive cum Romanis civibus, aut incolis dispensaverint.

XXIII. Ceterum alias facultates prædictis trium Basilicarum Pœnitentiariis minoribus pridem concessas, aut forsitan concedendas per Cardinalem Majorem Pœnitentiarium in vim generalium facultatum, quibus ex Benedicti XIV. Constitutione = *Pastor bonus* = vel alias ab Sancta Sede, et a Nobis ipsis est instructus, salvas, et firmas hoc ipso Jubilæi anno esse, et fore, atque ab iis hoc etiam anno durante non

secus, ac alio quovis tempore erga omnes exerceri juxta ejusdem Constitutionis aliarumque respective concessionum tenorem debere, et licite posse, decernimus, et declaramus.

XXIV. Easdem vero facultates tam in memorata Benedicti XIV. Constitutione = *Pastor bonus* = et alias etiam ab Apostolica Sede, vel a Nobis ipsis Cardinali Majori Pœnitentiario tributas, quam in præsentibus nostris Literis expressas, atque contentas, prædicto Majori Pœnitentiario, et Apostolicæ Pœnitentiariæ Officio confirmamus, et respective, quatenus opus sit, pro hoc Anno Sancto concedimus, et impertimur ad hoc ut ipse Major Pœnitentiarius iis omnibus, et singulis tam per se ipsum, quam per alios quoscumque a se eligendos Confessarios in Urbe uti licite valeat. Si quos autem casus ad ipsum Pœnitentiariæ Officium, vel ad aliquem ex dictis Pœnitentiariis, seu Confessariis deferri contingat, qui sub præsentium Literarum dispositione comprehensi non dignoscantur, vel etiam in iisdem sint excepti; onus erit præfati Majoris Pœnitentiarii, ad quem Pœnitentiarii minores, et Confessarii prædicti recursum habebunt, Apostolatum Nostrum super illis consulere: Nos enim eidem præscribere non ommittemus, quidquid opportunum in Domino judicabimus, ut animarum vulneribus sanandis idonea remedia aptentur.

XXV. Cum autem ad majora animarum lucra Anno hoc salutaris expiationis comparanda, multiplicandos adhuc esse operarios pro excrescentis messis copia dignoscamus, vestigiis insistentes Prædecessorum Nostrorum, committimus Dilecto Filio Nostro Cardinali in Urbe, ejusque Districtu Vicario in Spiritualibus Generali, ut ex Confessariis tam Sæcularibus, quam Regularibus ab se alias ad audiendas confessiones approbatis, seu approbandis quamplures, vel, si id

satius censuerit, omnes etiam designet, qui facultates infra descriptas per Anni Sancti decursum exercere libere possint, ut in implendo sanctissimo ministerio utilius adlaborent.

XXVI. Quare iidem Confessarii absolvere possint per se ipsos tantum, et in foro dumtaxat conscientiæ personas sibi confitentes, exceptis Regularibus extra suum Ordinem confiteri prohibitis, a quibuscumque Ecclesiasticis censuris etiam Summo Pontifici, et Sedi Apostolicæ, etiam in Bulla Cœnæ reservatis, et a Sacris canonibus fulminatis, dummodo tamen hujusmodi Censuræ non sint publicæ, necnon ab omnibus peccatis, excessibus quantumlibet gravibus etiam Sedi Apostolicæ reservatis, injunctis tamen salutaribus pœnitentiis, et aliis de jure iisdem Pœnitentibus injungendis.

XXVII. Omnia, et singula simplicia vota etiam jurata, etiam Sedi Apostolicæ reservata, exceptis castitatis, Religionis, a iisque superius N.° XI. memoratis votis, commutare in alia pia opera valeant.

XXVIII. Dispensare possint circa visitationes præscriptas quatuor Basilicarum, easque commutare eodem omnino modo ac conceditur Pœnitentiariis Nn XXI., et XXII. Præter hanc autem facultatem dispensandi circa prædictas visitationes sciant, nullam aliam dispensandi cum quoquam facultatem sibi concedi.

XXIX. Hisce autem amplioribus facultatibus per præsentes Litteras ex Apostolicæ benignitatis indulgentia adtributis, intelligant omnes tam Pœnitentiarii minores, quam Confessarii ceteri iisdem respective muniendi, uti se non posse, nisi cum iis pœnitentibus, qui præsens Jubilæum consequi sincere, et serio volunt, atque ex hoc animo ipsum lucrandi, et reliqua opera ad id lucrandum necessaria adimplendi, ad Confessionem apud ipsos peragendam accedunt: neque item

posse iisdem uti cum iis Pœnitentibus, qui hujus Anni Sancti Jubilæum semel jam lucrati fuissent.

XXX. Præterea Regularium quoque commoditati uberius consulere, simulque augendo numero Confessariorum pro Jubilæi consuetudine prospicere volentes, præmissas nuper facultates, quas Confessariis a Cardinali Vicario d signandis hoc anno competere statuimus Nn. XXVI XXVII. XXVIII. easdem omnes, et singulas pari modo pro eodem anno tribuimus, et concedimus omnibus Confessariis illis Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, et Instituti, qui alias ejusdem Cardinalis Vicarii, seu ipsius Vicesgerentis approbationem ad audiendas confessiones habeant, et insuper per suos respective Regulares Prælatos, seu Superiores ad excipiendas suorum Religiosorum confessiones deputati fuerint: ad hoc scilicet, ut iidem Confessarii facultates hujusmodi erga solos proprii respective Ordinis Pœnitentes Religiosos hoc Jubilæum lucrari volentes exercere in suis quique Cœnobiis, seu domibus libere, et licite valeant: quibus etiam Regularibus Confessariis facultatem dispensandi cum iisdem Religiosis pœnitentibus in Sacris Ordinibus constitutis super irregularitate ob censurarum violationem contracta, dummodo occulta sit, tenore præsentium, ac dicto anno, dictaque occasione dumtaxat, atque sub conditione superius N.° XII. assignata, concedimus, et impertimur.

XXXI. Nostræ itidem charitatis sollicitudines ad eos convertemus, qui legitima causa præpediuntur, quominus decretas quatuor Basilicarum visitationes exequantur, quales sunt præsertim Moniales, aliæque Virgines, seu mulieres in perpetua clausura viventes, vel oblatæ, aliæque in Religiosis, aut Piis Domibus, seu Conservatoriis degentes, nec non carceribus, seu custodiis detenti, et morbis affecti: aliis quippe nostris peculiaribus Litteris statuemus, quæ in Domino

magis expedire videbuntur, ut et ipsi præmissarum absolutionum, ac plenarii Jubilæi participes effici valeant.

XXXII Cum vero de recto peculiarium hujus generis facultatum usu saluberrima monita prælaudatus Prædecessor Noster felicis Recordationis Benedictus XIV. pro ea, qua præstabat, sacrarum rerum peritia memoratis suis Litteris, quarum initium = *Convocatis* = proposuerit, ea iterum edi separatim, mandavimus, ut qui Fidelium animabus per Pœnitentiæ Sacramentum adjuvandis præficiuntur, habeant inde regulam luculentissimam, ad quam in perdifficili procuratiene consilia, ac judicia sua religiose componant. Omnibus idcirco Confessariis, qui præstitutis facultatibus uti velint, eadem perlegere, ac commentari diligenter edicimus, ne in gravissima actione quidpiam a recto alienum ob rerum ignorationem sibi vel invitis excidisse non sine acerbo animi dolore aliquando nanciscantur.

XXXIII. Cunctos interim Sacrorum Administros, quibus hoc salutis officium committi contingat, paterno affectu admonemus, ut ad divinum dimittendi peccata ministerium honorati, eodem rite, et, quibus par est, religionis, charitatis, prudentiæ studiis perfungantur: cumque Ecclesiæ filios ingemiscamus ex errorum invalescentium colluvie circumferri omni vento doctrinæ, id in primis enitantur, ut cunctos doceant vias Domini, et a sapientia propellant, quæ secundum Deum non est. Æquo autem animo, atque ad patientiam comparato excipiant universos, exemplo Illius confirmati, cujus personam gerere sibi datum est. Fiet hoc pacto, ut Pœnitentes cum sibi viscera misericordiæ, cœlestesque thesauros undique reserari conspiciant, alacriores convertantur ad Dominum, ac per Pœnitentiæ Sacramentum sese eidem reconciliare satagant sollicite.

Præsentes vero Litteras, omnesque, et singulas concessiones limitationes, monita, declarationes, ac voluntatis Nostræ significationes in iis contentas de nullo defectu impugnari, et redargui posse, sed omnimoda firmitate validas esse, et censeri, et ab iis omnibus, ad quos pertinet, exactissime observari, eisque etiam, quorum favorem respective concernunt, plenissime suffragari voluimus, atque decernimus Non obstantibus præmissis Nostris, aliisque Apostolicis, seu in Universalibus, Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis Constitutionibus, et Ordinationibus, nec non quarumcumque Personarum, aut Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, et Institutorum etiam specialem, et individuam mentionem promerentium etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, legibus, usibus, et consuetudinibus etiam immemorabilibus, Indultis quoque, et Privilegiis etiam Mari Magno, seu Bulla Aurea, aut aliter nuncupatis, et sub quibuscumque tenoribus, et formis; et quibusvis etiam suspensionum et derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus clausulis, seu irritantibus Decretis etiam simili Motu, scientia, et potestatis plenitudine, et alias quomodolibet concessis, et iteratis vicibus confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, quatenus præsentibus in aliquo adversari dignoscantur, illis alias in suo robore permansuris, pro hac vice dumtaxat amplissime, et latissime, ac specialiter, et expresse, velut si eorum tenores præsentibus per extensum inserti forent, derogamus, et derogatum censeri volumus, et decernimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum concessionum, limitationum, monitorum, declarationum, mandatorum, decretorum, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis

autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Octingesimo vigesimo quarto; duodecimo Kalendas Novembris; Pontificatus Nostri Anno secundo.

B. CARD. PRO-DATARIUS J. CARD. ALBANUS

VISA
De Curia. D. TESTA

Loco ✠ Plumbi

V. Cugnonius

Registrata in Secretaria Brevium.